

nus ad eos mitteret , qui uti se dederent postulareret , ne 1509

recusarent . Cumque Taurisani tumultu civitatis & plebis excitato , plerisque non idem sentientibus , per legatos , quid se vellent Patres facere , a Senatu petiissent : id unum quod conducere sibi ipsi existimarent , legatis responderunt . Scripsere etiam ad suos in Carnis atque Istris magistratus , ut quæ oppida superiore anno e Maximiliani ditione respublica ceperat , ea omnia , armamentis commeatibusque publicis abductis , regiis potentibus ministris restituerent . Postremo , quod ab ea cogitatione non longissime aberant , ut urbi quoque ipsi timendum putarent , docti a præsentibus rebus , quantam reipublicæ diuturnitas & incrementum in se unos omnium regum invidiam atque odium concitatisset , Decemviri duodecim legerunt cives dignitate præditos , qui vada urbana atque litora , adhibitis ejus rei peritis hominibus , diligenter inspicerent , ut aditus , si qui essent apertiores , castellis munirentur .

Tum auctis operarum publicarum numerus : jussumque ut omnes insulas & domos vicorum magistri perlustrarent , quantaque esset in urbe advenarum multitudo , quanta armorum privatim ab his comparatio , cognoscerent : editumque pœna capitis propositum , ne quis armatus incederet . vigiliæque noctu vicatim & præfecti cum militibus dispositi , ne quis temere tumultus exoriri posset . etiam lex lata , ut triremes octo urbis præsidio armarentur . missusque multo maximus frumenti numerus ab annonæ magistratu ad molas farinarias in Taurisanos fines domi molitus adservandus , ne , si eæ ab hostibus molæ interciperentur , civitas farinæ inopia laboraret . molæque aliquot , quas naves sustinebant , e Pado Athesique ad urbem perductæ : cogitatumque ut inolæ aliæ , quas vertere ventus quiret , in suburbanis insulis fabricarentur : puteique perplures in portus litore foderentur , ut si a fluminibus aqua propter hostes circunfusos peti non posset , iis puteis civitas uteretur . Missi etiam publice lecti cives ad arborem in Medoaci ripis cædendam , atque ad urbem devehendam , ut materia civibus ad munitiones in propugnatione

*Senatus ur-
bis securita-
ti prospicit .*

sup-